



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

§. 14. Cum damnatis ad mortem &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

dum ipsi est, ut vel mature contritionem eliciat, vel etiam omnino Confessionem faciat (etsi capite non periclitetur) ne per peccatum mortale obicem satisfactioni, meritisque ponat.

V. Magnopere curet, ut talis captivus otiosus non sit; sic enim tristibus & nocuis cogitationibus, tentationibusque aperitur aditus. Itaque suadeat frequentem rosari, aliarumque precum recitationem, subministret illi imaginem piam, numisma habens Indulgentias, commendet ei studium in animas purgatorii; & alias similes devotiones. Quandoque etiam prodesset, talem captivum opere manuali occupare. sunt enim plerumque homines rudes, non assueti occupationibus mentalibus vel librariis; si tamen legere norunt, utiliter illis liber aliquis spiritualis v. g. vita Christi aut Sanctorum, de aeternitate, de morte, de patientia, &c. offerretur legendus.

§. XIV.

Quomodo assistendum damnatis ad mortem ante, & post latam sententiam.

I. Non expedit pendente mortis sententiâ Reum ad Confessionem hortari, ne tunc timore supplicii peccatum sileat: sed potius ritè disponere ad præparationem Confessionis generalis postea faciendæ, & ad Resignationem in divinam voluntatem.

II. Non expedit etiam ut recipiat in se vitæ servandæ patrociniū, quia sic Reum non posset tam commodè disponere: semper enim reus haberet spem vitæ à Confessario obtinendæ: quod si hæc spe cadat, abalienabitur ab eodem, utpote qui causam suam non bene egerit. Poterit tamen in genere promittere, se nihil omisurum, quod in illius commodum cedere possit: quia tamen Iustitiæ cursus suus relinquendus, & Magistratus tum propter obligationem, quam habet scelera puniendi, tum propter maturam considerationem, quam in huiusmodi causis adhibet, non facile mutat sententiam, ideo suadere se dicat, ut in divinam voluntatem se penitus resignet, & quo prævisa tela minus feriant, ad quamcunque sententiam de manu Iudicis non aliter atque de manu ipsius Dei accipiendam se præparet.

III. Post latam mortis sententiâ Reo per Confessionem expiato, & SS. Corpore Domini refecto, præter Confessarium & ejus socium non expedit plures cum eo conversari? ipsi verò de nulla re alia loquantur, nisi quæ ad salutem pertinet, omnem sermonem de amicis, parentibus, &c. præcipientes.

IV. Ulcimâ nocte imminente admonebit Reum, ut dormiat; ne timor mortis imminens hominem nimis debilitet, & indispositum reddat diei sequentis necessariis admonitionibus, & impari doloribus exantandis. Expedit autem dormienti adesse quendam, qui, si necesse sit, consolari queat; quia tunc magis crescunt tentationes & desolationes.

V. Illucescente fatali die, prima sit cura Sacerdoti, ut formato S. Crucis signo, & invocato in vota Deo, eidem dies illa offeratur intentione optimâ: uniatur diei, quo Christus passus est; imploretur auxilium Sanctorum, præsertim Patronorum; & illius, cujus nomen gerit Reus. Detur opera, ut confiteatur iterum, lucretur indulgentias, conformetur voluntas cum divina, & alia exerceantur pietatis opera, usque dum carcere educatur. Solatio erit magno, si indicetur pro ejus felici morte jam litatum Deo; pro anima verò denuò litandum. Spondeat quoque Sacerdos, se rogaturum plures, maxime verò Spectatores post supplicium sum-

ptum, ut pro eo preces, & fortè etiam indulgentias aliquas (maximè mentis Communionis, ubi certum facultas est) offerre dignentur.

VI. Caveat, ne quicquam ad festinandam mortem proferat, imò interrogatus à satellitibus vel alii, omnia sint absoluta? respondeat, sui muneris esse, cum Reo de animæ salute agere, reliqua sui fori aut iudicii non esse. Secundum Vasquez tamen irregularitatem homicidii publici non incurritur personæ, privatæ, sed tantum ministri iustitiæ.

VII. Cum fertur sententia decretoria, hortetur Reum, ut eam cum humilitate & resignatione magna, de iustissima Dei manu accipiat, rogetque Deum ardentibus suspiriis & verbis ferventibus, ut in intuitu hujus feralis sententiæ dignetur eum à sententiâ mortis aeternæ liberare.

VIII. Cum Reus ad mortem pergit, somnoperè curandum est, ne oculis huc illuc vagetur, obvios salutes, aut alloquatur, maxime amicos aut consanguineos; sed totis viribus in unam animæ salutem incumbat. Si transeundum sit propè templum vel Crucem, juvabit Christum vel sacram ædem inclinatio capite, aut forsitan etiam flexio poplicæ venerari, & opem gratiæ divinæ expostulare.

IX. Proderit in tam funesto itinere orare continuo quod ut fiat suavis, nunc è libello preces recitentur, nunc è memoria prout affectus dictaverit, actus virtutum eliciantur, præsertim Contritionis, Fidei, Spes, resignationis, invocationis, &c. Sæpe tamen clamare non expedit, quia non raro magis turbatur animus Rei, & quodam horrore percussit vociferationes huiusmodi. Curet, ut manibus teneat Crucem; circumligatum sit Rosarium, si quidem manus post tergum non sint revinctæ, tum enim ipse Crucem ferat, & sæpius offerat deosculandam.

X. Cum in conspectum loci fatalis venerit, conetur Reo adimere horrorem, vel minuere certè. Proderit exemplum S. Andræ in memoriam revocare, & explicare, quo animo Christus montem Calvariæ conscenderit. Juvabit etiam frequentem tum repetere voces illas: *Fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra. Domine, huc ire, hic seca; modo parca in aeternum. Eiam si occiderit me in eo sperabo.*

XI. In ipso loco denuò & magno cum affectu interroget, num animum aliquid cruciet, vel temoret conscientiam? num iterum confiteri velit? an alia quapiam tentatione impugnetur? Adhortetur exquisitis verbis ad luctam ultimam, quæ si victor evadat, triumphaturus sit in æternum. Iterum quærat, num omnibus ignoverit? ingemebunt actus contritionis, virtutum Theologicarum, offeratur osculum Crucis, & ejusdem ad pectus amorosa appressio.

XII. Ut majori cum alacritate vel ictum excipiat, vel laqueum recipiat, rursus polliceatur Sacerdos, se illius post mortem memorem futurum; nec unquam desistat à cohortatione ad patientiam. Curet, ut sæpè ingeminet illa SS. Nomina, *IESUS, MARIA!* Et illa: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

PRAXIS assistendi aliis ægris ac moribundis: Et Motiva illis inculcanda ad Resignationem, patientiam, Fidem, Spem, Charitatem: Et harum virtutum ac Contritionis Actus, diserte expressi habentur paulo supra in ipsa praxi assistendi cuius moribundo; quæ si opus sit, possunt hic, aut alibi usurpari: & maxime in quavis Sacramentorum administratione.

Item *Instructio* pro ipso Sacerdote quoad sum personam, & Functiones, traduntur infra in sequenti Praxi assidua Meditationum pro Sacerdote &c.

Arsde
KinTheo
logiaD. 117
2. 8